

Die Traditionen des Hochstifts Regensburg und des Klosters S. Emmeram (Ed. Widemann) Nr. 25

Postquam orthodoxus vir sanctae memoriae Baturicus episcopus et Sigimundus abbas mutua inter se conventionem facta tale concambium fecerunt, ut idem venerabilis praesul ipsi abbati in beneficium concambii concessit servos, quos habebat ad Perindorf, et abbas econtra donavit, quod ille possidebat iuxta fluentia Labarae, contigit ex parte. Sigimundi, ut servi, quos ipsi episcopus in concambium dedit, iniuriam sustinerent et sepe reclamarent ad praefatum pontificem; quamvis haec mitis idem audiret episcopus, voluit tamen dissensionem devitare et ad ipsum abbatem loqui rogavit, ut iniuste contumeliam non paterentur servi ab eo, quos in concambium accepit. Sed tamen nullo modo illud emendare volebat. Dum haec ita se haberent, Baturicus episcopus iuxta rationem condignam non ferens animo iniuriae causam servorum suorum venit cum amicis et hominibus ad supra nominatum vicum obviam ipsi abbati. Et cum sedissent, facto silentio cum convenientia Baturicus praesul reddidit prior eitlem abbati cum ferula sua concambium, quod ab eo accepit, et abbas cum baculo suo eodem modo reddidit episcopo concambium, quod cum illo gesserat. Et sic placitum quandoque se habere condixerant, ut si quando quid inter se de causis ipsis quaerere voluissent, hoc tunc in caput constituissent. Ibi Oto, Kamanolf, Rodolt, Suarzlöh, Pillunc, Uzant, Cundheri, Pern, Erchanpold, Jacob, Marcho et alii. Actum est in vico suprascripto anno domini DCCCXXVIII.